



*Sted*

E libris  
**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**  
a venerabili  
**Carolo Funk**  
theol. doctore et gymnasii direttore  
a. 1857 hereditate relictis.

*G. f. 171.*



VIRO  
 vel sine titulorum pompa  
 splendidissimo,  
 DOMINO,  
 DOMINO  
**JEREMIAE**  
**JOSEPHI,**  
 SVPERINTENDENTI,

Suo dum viveret

**EPHORO,**

bene de omnibus merito

**EPHODI IMMORTALIS DECVS**

post exuvias mortalitatis,

induto,

piis lachrymis parentat

a. d. XII. Cal. Novemb. ch. l. cc. xxxix.

&

moestissimae familiae

pietatem restatur

Sorani Athenaei Alumnorum

Ordo superior.

SORAVIE, stanno ROTHIANO.



**H**eu adytum templi venerabile clauditur alti!  
Muneribus vacat omnijugis lustralis acerca!  
Thuribulum friget, grati suffimen odoris  
Vanuit, ara caret Panchæi thuris honore.  
Nam cecidit (pectus quatitur mœroribus anceps)  
Vah! cecidit moriens insignis Mysta Sionis,  
Mors etenim præceps Ephoro detraxit Ephodum,  
Exanimata tegens velo nunc membra nigello.  
Ah rerum facies atro carbone notanda!  
O subito fani damno mutatus amictus!  
Pontificis JOSEPH gereret cum tegmina vivus,  
Officiumq; sacrum calido præstaret amore,  
Nostra salus stabilis, constans, immota vigebat,  
Nec cruciatus atrox cor, nec tormenta premebant:  
Nam sacri quoties ingressus limina templi  
Pro populo precibus Jovæ pius appulit aures,  
Ille quidem minime gestavit nostra lacertis  
Nomina fixa suis, onychi sapienter inusta;  
Corde tamen fovit, pictos superante lapillos  
Pectoris in patulis condens penetralibus ista.

Ast ubi nunc illis locus est? ubi pristina sedes?  
Atria cum cordis frigent, cum pectora pallent?  
Nostra quies certe premitur langvente sopore,  
Cum jaceat pallens, letho sopitus acerbo.  
Jam jubar occultant Urim Thummimq; sacrata,  
Hospitium veri, superi documenta Polarchæ,  
Quam gazam eripuit manui tua cura nefandæ,  
Sæpius, & tandem celebrasti in mortis agone.  
Occubuit (quid enim superest?) fiducia tecum,  
Insurgunt furvæ, subducta luce, tenebra,  
Et quid sperandum gregibus, pastore remoto?  
Cuncto næ cultu sanctum spoliatur ephodum,  
JOSEPHIDA, mortis quod dura lege reponis,  
Deciduis lachrymis omnes hinc fata dolemus,  
Vertimus in luctum, in gemitum modulamina blanda,  
Plangimus intortis titubantia pectora palmis,  
Et probitas tabet curis horretq; timore.  
Christiadum coctus, labens ecclesia, talem  
Perdedit (o nimium gravis! o jactura!) ministrum!  
Munere qui vigilans, prudens, Aarone daducho,  
Fungi sustinuit, memor æquæ legis amissis.  
Officium haud maculis spurcabat quæstus avarus:  
Conspirabat enim cum dictis vita decenter,  
Cum Domini jussis servi propensa voluntas.  
Testatur benefacta Viri haud mediocria livor,  
Nec rabies odii præconia debita delet.  
Quid? num Pierides studium reticere, laborum  
Myriades tantas tacitæ contemnere possent?  
Hoc ludi valuit nostri vivente palæstra.  
Præstitit ille vicem Patris nutritor egenis:

Quot miseris epulis pia dextra inopesq; cibarit,  
 Pectora grata tenent, & nulla obliterat ætas.  
 Iste parens nobis obiit præsesq; sacrorum:  
 Omnibus ast cecidit communis morte sacerdos,  
 Gemmis quem variis lætum decoravit ephodum.  
 Jamq; habet æternum, quo mens contendit, Olympum,  
 Sub pedibusq; videt scelerum tegumenta malorum.  
 Nunc incedit ovans, albo vestitus amictus,  
 Ut tenui tegitur byssi velamine corpus.  
 Nunc coram alloquitur, fultus solamine, Jesum,  
 Tota sacerdotem quem devenerata perennem  
 Turba beatorum celebrat sine fine modoque:  
 Hos inter palmanq; Patri laurumq; Goëli  
 Defert, adq; thronum diademata regia ponit,  
 Et canit elogiis spirabile Numen eisdem.  
 Hæc ipsum jam thura decent, hæc victima laudum  
 Grande ministerium manet hoc per sæcula cuncta.  
 Hic non Oebalio præfulget murice tincta  
 Palla, sed innocui pretioso sanguine Christi  
 Hanc non deponit, ceu quondam cedere jussus  
 Vitæ luce Aaron, excelsi vertice montis,  
 Corpore diduxit sanctissima firmata fesso!  
 Hanc retinet gestatq; polo sine moribus ævi.  
 Sic Ephorus felix palmato gaudet Ephodo.



78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.  
rest. nicht vergeben!



1077

R.40





VIRO  
vel sine titulorum pompa  
splendidissimo,  
DOMINO,  
DOMINO

# JEREMIAE JOSEPHI,

SVPERINTENDENTI,  
Suo dum viveret  
EPHORO,


bene de omnibus merito  
EPHODI IMMORTALIS DECVS

post exuias mortalitatis,  
induto,

piis lachrymis parentat  
a. d. XII. Cal. Novemb. clo lo cc xxxix.  
&

mœstissimæ familiæ  
pietatem testatur  
Sorani Athenæi Alumnorum  
Ordo superior.

SORAVIÆ, Anno ROTHIANO.



Farbkarte #13

B.I.G.

